



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. Hominum peccata à bestijs puniri, vt olim à muscis Pharaonem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Apposita incuruos ostendit regula moris,
& lex Dei declarat, quis sit homo Dei. Por-
rò ea lex, in quorundam hominum manu,
plumbea est, & cedere cogitur, flectiturq;
in omnes partes, ad libitum & libidinem
peccatoris, qui mandari sibi cupit, quod
ipse vult. In manu autem Dei, & hominis
Deum amantis, lex diuina regulaque non
plumbea est, sed adamantina, quia non
cedit, sed voluntas obediētis cedit illi: quia
Psal. 1. 2. *in lege Domini voluntas eius*, vnde ait: *Do-*
mine, quid me vis facere? His talibus bestia,
quæ domantur, sunt in exemplum; contu-
macibus autem, & dura ceruice jugum Do-
mini à se proijcientibus, in metum & sup-
plicium.

§. V.

*Hominum peccata à bestijs puniri, ut olim
à muscis Pharaonem.*

*Cor suum posuerunt, ut adamantem, ne
audirent legem &c. & facta est indignatio ma-*
Zach. 7. 12 *gna à domino.* Quia igitur bestijs, non in-
obedientia, sed in truculentia pares sunt,
Pl. 57. 5. *estque furor illis, secundum similitudinem
serpentis, sicut aspidis surda & obturantis
aures suas; quæ non exaudiet vocem incantã-*
tium, & venefici incantantis sapienter, Deum
cont-

conteret dentes eorum, in ore ipsorum. Sicut eques conterit dentes equi frantum mordentis. Quo autem iustiore modo obstinatos plecteret, quàm, vt rebellibus immitteret rebellionem? Quia frequenter & grauiter peccauit tibi, ait vir sanctus, merito armatur contra me omnis creatura. Sic, quia Eua se à serpente decipi est passa, inimicitia inter illam & serpentem insidiarum; sunt positæ, vt idem esset punitor, qui fuerat seductor. Sic induratus Pharaonis, sciniphibus, muscis, locustisque est punitus. Per sciniphes Hebræi, & cum illis Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, Caietanus, pediculos intelligunt, quibus, vt postea Herodiana crudelitas, ita prius Pharaonica tyrannis sit castigata: alij rectius id negat, cum pediculi è corpore humano, nõ è puluere terræ generentur, quod hinc tantum docet Scriptura. Vbi autem nos legimus: immittam in te, & in seruos tuos, & in populos, & in domos tuas, omne genus muscarum, vertit Chaldaeus, mixturam bestiarum nocuarum, Pagninus, omne genus ferarum. Hebræi quidam, incursionem leonum, pardorum & luporum intelligunt. Quia tamen S. Hieronymus cum 70. & Aquila melius

arob

Thom. de Kemp. l. 3. de imit. cap. 41. Gen. 3. 15.

Exod. 8. & 10. Ioseph. li. 2. Antiq.

Exod. 10. 21.

12. 11. 12.

arob miscellam, seu turbam variarum mī-
 fearum interpretatur, dubium non est, tan-
 tam esse Dei potentiam, vt vel è musca fa-
 cere possit immanem tortorem. Sicut &
 locustæ grandi Ægyptum plaga percusse-
 runt. Deuorarunt enim, quidquid erat vi-
 rens in terra. Quin & domos ingressæ eas
 impleuerunt: & in oculos quoque & cor-
 pora Ægyptiorum insilierunt, hominēsq;
 virulento morfu suo, necauerunt, vt ait

Sap. 16. 9. Scriptura. *Illos enim locustarum & musca-
 rum occiderunt morsus, & non est inuenta sa-
 nitas anime illorum: quia digni erant ab hu-
 iusmodi exterminari. Filios autem tuos, nec
 draconū venenatorū vicerunt dentes. Quod,*

vt minùs mireris, hæc de illarum regionū
 Plin. li. ii. muscis scribit Plinius: *Grandiores ternun-
 tur, & tanto volant pennarum stridore, vt
 cap. 29. alia alites credantur, solēque obumbrant,
 sollicitè spectantibus populis, ne suas operiant
 terras. Longinqua maria transeunt, continua-
 ta plurium dierum fame, vt externa pabula
 petant; dira nube messes contegunt, multa
 contactu adurentes, omnia morfu erodentes.*

§. VI.

A serpentibus & leonibus punji.

Num. 21. Sic, murmuratione facta, misit Dominus in
 6. popu-